



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentissimis Jesu Christi Dei-Hominis

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723

VD18 80217931

Consultatio XXII. De Thesauro infinito meritorum Jesu Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45509

ca illa disceptant, seque exercent, quoad profundè inculpserint menti, quod scire desiderant.

Modus benè
retinen ser-
monem.

Quanto id nobis probro, quòd centies majori non ardeamus zelo addiscendi res fidei & veritates salutis. Non sufficit, has semel dictas esse nobis; oportet ponderare illas, volvere & revolvere animo, nec acquiescere, quoad perfectam illarum assequamur cognitionem. Ecce tibi,

cui studio invigilandum sit omni Christiano; nòsse nimirum Christum & veritates salutis. Ecce orationis suæ quodnam eligere debeat argumentum, quæ verè oratio est fidei excellentior omnibus. Et ut omnia unico absolvam verbo, vis modum & medium certum benè retinendi Concionem? Exerce, exerce ipso opere, quod audisti in sermone, & oblivisceris nunquam.

CONSULTATIO XXII.

De Thesaurò infinito meritorum Jesu Christi.

S. Augustinus
in Psalm. 93.

Deus nobis
vult vendere
regnum cœ-
lorum.

LEgenti mihi Scitum illud S. Augustini effatum in Psalmum nonagesimum tertium, ubi introducit loquentem cum animâ Deum: *Venale quid habeo. Quid, Domine? Regnum cœlorum. Quo emitur? Ut videam, an sim solvendo; respondetur, id pretii esse infiniti, eoquòd boni infiniti conferat possessionem, eamque infinito tempore, in omnem nempe æternitatem. Magnificentia regni me capit & allicit, id habendi cor flagrat ardore; sed pretii exterret me magnitudo. Quâ ratione id obtineam?*

Ex hoc omnium mearum divitiarum in eo rationem, ut experiar, an habeam, unde solvam; & invenio me nonnisi

miserabile habere nihilum, unde exivi per Creationem: Ecce tota mea hæreditas. Invenio aliud adhuc deterius mihi esse nihilum, in quod dilapsus sum per peccatum: Ecce totum meum, quod feci lucrum. Video me habere Corpus humanum, quod nascendo attuli in mundum, sed huic facultas non est alia, quàm corporalia conficiendi opera, quæ ex seipsis abjecta sunt & brutis propria: hæc omnia non admodum magni sunt valoris. Verum est, me etiam habere animam spirituales, quæ idonea est ad exantlandanda opera longè nobiliora, quàm illa sint corporis; sed hæc omnia, cum nonnisi intra conditionem stringantur naturalem, procul absunt, ut ad infinitum

Omnia no-
stra natura
bona non suf-
ficiunt ad e-
mendum il-
lud.

acce-

accedant pretium. Sic post in-
tam rationem omnium, quæ ha-
bere possum à meipso, probè vi-
deo, id penè esse nihil, nimiam
esse paupertatem meam, nec ha-
bere me, unde, quod anhelò, mi-
hi comparem.

Nihilominùs desiderium e-
mendi regnum cœlorum urget
me, omnia inquirò media, ut eam
acquiram, quæ mihi opus est sum-
mâ; suppetias efflagito à con-
sanguineis, propinquis & cogna-
tis meis, quorum maximus &
amplissimus est numerus: liqui-
dem Adam est Pater meus, & o-
mnes filii Adæ sunt fratres mei;
infinita ipsorum est multitudo,
inter quos reperire est non pau-
cos fortunæ muneribus conspi-
cuos; volent utique suppetitare
mihi pretium, quo regnum mi-
hi emere liceat æternum; non
est familia nec stirps, nec stemâ,
quod non exhauriat se lubens,
ut gaudeat prærogativâ aspicien-
di unum è fratribus suis evectum
ad possessionem alicujus regni;
promptissimè ergò annuunt, mi-
hi que dicunt: accipe quæ habe-
mus omnia absque exceptione
ullâ. Sed comperio ipsos simul
omnes non esse ditiores me;
omnes æquè ac ego non possi-
dent plura, quàm miserima duo
nihilâ; unum entitatis, alterum
peccati; non sunt illis nisi opera
quædam corporalia valdè abje-
cta, & alia nonnulla spiritualia,

quæ tamen nullius sunt valoris,
còquòd contineantur solummo-
dò intra limites naturæ; sic non
invenio inter ipsos omnes, unde
emam regnum cœlorum, quod
mihi vendere vult Deus. Quid
faciam ergò, ut obtineam illud;
tandem enim id comparabo,
quanticunque steterit mihi.

Recurro ad amicos meos (ceu
tales revereor Angelos in cœlo)
novi melioris me ipsos esse con-
ditionis; scio me perfectè amari
ab ipsis, cum omnes in omni per-
fectione possideant charitatem;
haud dubiè auxiliari mihi volent
in mea necessitate. Rogo vos,
adjuvate me, emerem libens re-
gnum cœlorum, quod Deus
venale mihi offert; sed nimia
est paupertas mea, nimisque mi-
hi curta suppellex; sed & omnes
fratres mei, omnes suas exhau-
riendo divitias, necessarium mi-
hi pretium non potuerunt sup-
petitare. Sed vos, quibus om-
nium bonorum est abundantia,
meam sublevate indigentiam.
Annuimus votis, inquiunt mihi,
accipe, quæ possidere nos cernis,
omnia. Credebam ultra modum
ipsos esse divites, nihilominùs in-
venio, ipsos habere nihil, quod fi-
nitum non sit, cum tamen infini-
to mihi opus sit pretio: omnia
hæc ergò mihi non sufficerent;
& dein video, omnia ipsorum
bona ita ab illis esse inseparabilia,
ut spoliare se ipsis non possint,
nec

Omnia bona
naturæ huma-
næ similiter
non suffi-
ciunt.

Omnia bona
Angelorum
sunt quòque
nimium par-
va.

nec aliis comunicare illa. Ecce igitur adhuc meâ me delusum ipe.

Verum aspectus hujus regni succendit me ardenti desiderio possidendi illud; comparandum id mihi est, quibuscunque stet impensis; exutus namque illo, in æternum miser & infelix ero. Quis est ergo, qui subministrare mihi poterit omne, cujus indigeo pretium, ut, quanti valet, tanti emam illud? Recurro ad Dominum meum, summum meum Principem, ad illum, qui dedit mihi esse; novi ipsum bonitatem esse infinitam, majori amore prosequenti me, quam omnes prosequi possint creaturæ; jamjam id proprio didici experimento; ipse enim omnia, quæ habeo, donavit mihi gratuito, absque ullâ obligatione, sed ex purâ suâ liberalitate: Certus ergo sum, ipsum benevolo esse in me animo. Novi ipsum esse divitem, inexhaustos esse ipsius thesauros, quin & in hoc suam collocare gloriam, si diffundendo in nos suarum divitiarum abundantiam, suam declarare nobis possit magnificentiam.

Deus solus
suppeditare
nobis potest
pretium ne-
cessarium ad
emendum
regnum cœ-
lorum.

Domine tu solus es, qui quidditatem dedisti mihi & essentiam; Tu igitur solus quôque es, à quo quidditatis & essentiæ meæ expecto perfectionem; perface opus tuum, ipsique confer, quod deest ipsi, ut tota te maneat gloria, exquisitum perfecisse opus manu-

um tuarum. Tu fecisti me ad imaginem tuam, & capacitatem tribuisti mihi possidendi regnum cœlorum; vehementissimo aduror desiderio habendi illud, probe gnarus, infelicissimum me fore, si id olim non possideam, melius enim non esse foret abs eo mihi. Verum dicitur mihi, me id non habiturum, nisi emero, infiniti autem id esse pretii; unde hoc desumam, nisi tu ipse suppedites id mihi? nihil enim infinitum est, nisi quod in tuis numeratur thesauris; aperi illos ex misericordia, mihi que succurre.

Verbum æternum, quod est Verbum Omnipotens Dei Patris sui respondet ad hoc; id negotii majoris esse ponderis, quam ut tractari valeat extra Deum. Jam vides, ô homo, omnes creaturas, omnes homines, omnesque simul Angelos, suppeditare tibi non posse infinitum hoc, quo indiges, pretium, & omnia, quæ minora sunt Deo, hujus nullam habere facultatem. Quid cogitandum est de re, quæ soli reservatur Omnipotentia Dei? Et dein memineris, quòd, quando agebatur de conferendo tibi esse naturali, res nobis fuerit visa tanti momenti, ut consilia desuper inièrimus, Pater meus, Ego & Spiritus Sanctus, ad conferendum tibi animam immortalem, teque formandum ad nostram imaginem. Jam dum agitur de consignandâ tibi possessione

Tres Divinæ
Personæ con-
sultant & de-
liberant.

fione

sione propriæ gloriæ Dei in omnem æternitatem, ipse judica, an opus hoc incomparabiliter majoris non sit ponderis illo altero. Verum est, thesauros bonitatis Dei esse inexhaustos, ipsumque complacere sibi, suis bene faciendo creaturis: verum est etiam, non solum omnia possibile esse Deo, sed etiam nihil Deo esse difficile. Tu desideras, ut ipsemet suppeditem tibi pretium infinitum, quod requiritur ad emendum tanti, quanti valet, regnum cœ-

lorum. Nimiùm te amo, quam ut in hoc dem tibi repulsam, nimiùmque sum potens, quam ut in hoc inveniam difficultatem: nihilominus ob tantam hujus operis Majestatem, in consilium vocabo Patrem meum. Audi bene, quid tractetur, & perspicies in hoc difficultates, quæ primâ fronte tibi videbuntur insuperabiles, essentque tales reipsâ, si minus sapientiæ, minus potentia, minusque haberem bonitatis.

ARGUMENTUM.

Verbum æternum eo Incarnatur nomine, ut acquirat statum merendi pro nobis.

ARTICULUS I.

Verbum æternum non potest mereri in sua divinitate.

AUxiliabor, inquit Verbum æternum, & succurram indigentia hujus hominis; formatus is est ad nostram imaginem, est ipsi capacitas possidendi bonum infinitum, id habendi experitur desideria in sua anima, sed desideria immensa in sua latitudine, æterna in sua duratione, & nunquam finienda. Si magno hoc delusa & frustrata fuerit desiderio, æternum erit misera & infelix, sed cum creata non fuerit, ut misera sit, suppeditabo illi infiniti merita pretii, quibus tanti, quanti valet, emere possit regnum cœlorum.

Sed unde desumes hæc merita? respondet Deus Pater; cum

horum habeas nulla? Meritum est opus dignum retributione. Prò quàm posses recipere retributionem, qui es Deus! meritum est res, quæ non convenit nisi alicui inferiori & subdito: obedire enim hic debet voluntati alicujus se majoris, illique servire juxta ipsius arbitrium, ut reddat se dignum aliquâ retributione? sed tu non es nec meus subditus, nec meus servus in statu, quem tenes, sed in omnibus es mihi æqualis; mereri igitur non potes, & consequenter nec dare merita hominibus.

Verum est, respondet Verbum adorandum, quod, cum æqualis tibi sim in omnibus, obtemperare tibi

Zzzz

tibi

Oportuit Filium Dei fieri
ipsum servum,
ut mereri posset.

tibi non valeam, nec aliquid apud te mereri. Sed ideo infero-rem tibi me faciam, fiam homo; & in hoc statu ero subditus tuus, & servus tuus; faciam omnes voluntates tuas, tam exacta tamque perfecta cum obedientia, ut tibi placiteris, pariturus tibi sim voluptatem; tuque judicaturus opera mea mereri retributionem; sic habebō merita, & hæc merita erunt infinita, quia cum actiones meæ procedant à Persona Divina, habebunt dignitatem proportionatam Personæ se facienti; & hæc Persona cum infinita sit, nihil facere potest, quod non sit dignitatis infinitæ, meriti infiniti.

Deus Pater
recompensare non potest
merita Filii
sui, in Persona
ipsius.

O quam dignum habebō servum in Persona tua! dicit Deus Pater. Ergo & meus servus eris & mihi æqualis: velut servus meus poteris mereri; & velut æqualis meus mereberis ratione infinita. Sed quomodo dignam mercedem dare poterō tali servo? Nihil video, quod dare ipsi possim, ut retribuam, in quantum meretur: siquidem, si extra me circumspiciam, quando dederō tibi omnia, quæ creata sunt, hæc omnia tanti non existunt valoris, quanti servitorum tuorum unicum, eoque hæc infinitam non constituent retributionem; & quando exhaurirem nihilum, ad trahendum ex eo omnes creaturas, quas extrahere possem virtute Omnipotentis brachii mei, nihil inveni-

rem tibi, quod adæquare posset infinitorum tuorum meritorum magnitudinem. Quærendum ergo mihi foret intra memetipsum, ex quo dignam tibi facere possem retributionem; & quid tibi nisi meam donare poterō divinitate? Sed hanc jam habes; est tua sicut mea, quia nobis communis est.

Viden, quousque me redigas, quo in statu me colloques. Ecce te modò æqualem mihi in omnibus, & in hoc statu mereri nihil potes, eoque nimis magnitudinis & excellentiæ; & quando meus futurus es inferior, mereberis infinita ratione, per tuam obedientiam, eoque, cum eris meus subditus, non desinas esse mihi æqualis; retributionem autem æqualem meritis ejus, qui æqualis mihi est, dare non possum. Quid faciam igitur, si hoc arripias medium? an omnia tua sine retributione relinquam merita? Hoc foret injustum, an juxta eorum retribuam illa magnitudinem? Hoc meæ transcendit robur potentia.

Novi hoc, respondet Verbum æternum. Verum non cupio mereri pro me; & quamvis, cum mea merita sint infinita, nulli nisi mihi soli convenient, non tamen servabo ea pro me: quod enim retributionis genus dari mihi poterit, quidve amplius habere poterō, quam quod possideo? Mereri ergo desidero pro homine, qui

Jesus Christus
non est meri-
tus pro se, sed
pro homini-
bus.

qui pauper eſt, ſubſtituam ipſum pro me, ut meorum recipiat ſtipendium ſervitorum; eſt cognatus meus, eſt frater meus, amo illum, bene faciam illi; quidquid fuero promeritus, illi tribue; ſatisfactum mihi credam, ſi meritorum, quæ acquiſivero, acceperit retributionem; hinc nihil faciam pro me, nec pro commo-
meo, ſed omnia pro ipſo & ipſius emolumento.

Itane: Eoſque amas ipſum, ut donare ipſi velis omnes labores tuos, omnia merita tua, quin reſervare quidquam velis pro te, ſicut faceret infelix aliquod mancipium, miſer aliquis verna, qui non laborat pro te, ſed pro Domino ſuo, quique pro ſe lucratur nihil, niſi quod frangatur labore, conſumatur fatigatione. Sed mancipium id facit ex neceſſitate pro aliquo ſe majore; & tu id facis ex pura bonitate pro aliquo inferiori, infinita ratione minore te. O quanto flagras ipſius amore! o quantis titulis obſtringitur is tibi! o quam grati tibi debet ſignificationem animi! Ah! quid facere poterit, ut oſtendat tibi, ſe non eſſe ingratum? Quid pro tantis retribuere poterit beneficiis? Nihil, nec minimum unquam exſpecto me recepturum ab ipſo. Novi ex adverſo, ipſum tam fore ingratum, ut minoris æſtimaturus ſit infinitum meritorum meorum theſaurum, quem largior

ipſi, quam tenue lucellum temporale. Novi, ipſum non ſolum non cogitaturum de me, meque velut ignotum daturum oblivioni; ſed facturum deterius, me contemnendo, meque leviſſimâ ex cauſa offendendo graviſſimè.

Et his omnibus non obſtantibus fieri vis ſervus amore ipſius, ut merearis pro illo, & non labores niſi pro illo, & ipſi des dono omnia tua bona, ac ſi is eſſet æqualis tibi, vel etiam Dominus tuus, tūque ipſi pluribus nominibus eſſes obſtriectus: o bonitas! bonitas infinita! o abundantia amoris & miſericordiæ! ut quid non æſtimaris? ut quid non rapis in admirationem homines? an noſſe te quis poteſt & non amare ex tota anima ſua?

Verum hæc non ſunt omnia, Jeſus Chriſtus reſumit Deus Pater, alloquendo velut beatus & comprehenſor non poteſt mereri, Filium ſuum Unigenitum; obtinebis quidem ſtatum & capacitatem merendi, quando eris inferior, factus homo; ſed hæc non ſola eſt conditio neceſſaria. Oportet eſſe viatorem, ut mereri quis poſſit & tu ſemper es comprehenſor; id eſt, oportet eſſe in eodem ſtatu hominum mortaliū, qui tranſigunt ſuam vitam, velut continuam peregrinationē in terra, nunquam non tendentes & contendentes, ut patriam ſuam aſſequantur cœleſtem, ſed nondum adhuc beati. Ecce quid dicatur eſſe viatorem; oportet eſſe

Zzzz 2

in

in hoc statu, ut merendi quis habeat facultatem; nam ab instanti, quo beati sunt, nil amplius merentur de novo. Sed tu semper beatus eris à primo instanti vitæ tuæ, quia in instanti, quo creabitur anima tua, videbit Deum; & hoc ipsi debebitur ex justitiâ, quia ipsa erit anima proprii Filii Dei. Quomodo igitur mereberis, cum nec unicum futurum sit instans vitæ tuæ, quo non semper Beatus sis & comprehensor.

Merebor cunctis momentis vitæ meæ, respondet Verbum æternum, quia benè conjungere non vero duos simul status Viatoris & Comprehenforis, non minùs, quàm unitas servabo duas naturas, divinam & humanam, id est, omnia & nihil, in mea Persona. Dividam me igitur inter ambos, ita ut anima mea futura sit beata, & permanens Corpus meum instatu simplicis viatoris, passibile & mortale: quin & faciam divisionem animæ meæ inter statum utrûmque, Comprehenforis & Viatoris; pars superior fruatur Visione Dei, & erit beata, hæcque merebitur nihil: & inferior erit subjecta passioni, & permanebit capax tristitiæ, timoris, angoris, fastidii, & omnium afflictionum interiorum & spiritualium; hæc merebitur. Siquidem voluntas mea libera, quæ communis erit utrique statui, Comprehenforis & Viatoris, dividet se quoque in-

ter utrûmque, ita ut ex parte beatitudinis necessitanda sit, nullamque habitura facultatem merendi; & ex parte afflictionum Corporis & animæ, futura sit libera & habitura merendi facultatem.

Quando igitur mereri incipies, & quando id ipsum finies? Incipiam à primo instanti vitæ meæ mortalis, & non finiam nisi in instanti ultimo: Siquidem primus esse mei creati, & libertatis meæ humanæ usus, ubi primum illum accepero, erit, ut totum me ipsum impendam tibi, ô divine mi Pater, non solum, ut reddam tibi cuncta homagia, quæ debeo tibi ob novum hoc esse, quod dederis mihi; sed ut devoveam me tuæ justitiæ velut victimam, ut immoler in expiationem peccatorum mundi. Et dicam tibi ex timo cordis mei: Benè video, quod omnia sacrificia animalium, quæ oblata sunt tibi à creatione mundi, sufficientia non fuerint ad satisfaciendum tuæ justitiæ pro peccatis hominum; sed dedisti mihi corpus, quod tibi offero in sacrificio pro reparandis ex integro omnibus injuriis, quibus à cunctis affectus es peccatoribus. Et prima hæc mea voluntas sacrificandi totum me ipsum pro salute mundi, sufficiet ad sanctificandos omnes homines, ed quod voluntas efficax accipiatur à te pro effectu ipso. Cum mereri inceperim à primo hoc instanti vitæ meæ,

Jesus Christus factus est Viator, ut pati & mereri posset.

Heb. 10.

Ingrediens mundum dicit &c. Inquã voluntate sanctificati sumus,

mea, proſequar in omnibus aliis, ita ut nec unicum vacuum relinquam meritis, nec finiam prius niſi in extrema mortis luctu exſpiraturus in Cruce & dicturus:

Joan. 19.

Conſummatum eſt.

Sufficit pro
juſtitiâ, non
ſufficit pro
amore.

Ergo jam ſatiſfeceris à primo inſtanti vitæ tuæ mortalis, eod quod ſacrificium hoc voluntarium tui ipſius, cum ſit ſacrificiũ à Deo præſentatum & oblatum Deo (ubi victima æqualis infinitæ, quam honorat, majeltati) futurum ſit meriti & valoris infiniti. Hoc ergo ſufficit: reſpondet, ſufficit pro tuâ juſtitiâ: Nam hæc in toto ſuo rigore exigere plus non poteſt, quam reparationem infinitam: ſed hoc non ſufficit pro meo amore; hic namque vult copioſam & abundantiffimam fieri redemptionem. Et quando adjunxeris centenæ aut bis centenæ actiones ſanctiſſimas, quæ omnes infiniti erunt meriti, an hæc non ſufficiant? Ita, ſufficiunt pro tuâ juſtitiâ, ſed non pro meo amore; non vult hic tam anguſtis arctari limitibus.

Cur Jeſus
Chriſtus voluerit mereri
tam abundanter.

Et quando conſumpſeris quindecim, & viginti & triginta annos vitæ tuæ, abſque eo, quod dies noctesq; facias aliud, quam quod continuo merearis pro hominibus, omnia temporis tui momenta bonis replendo operibus, quorum unumquodque meriti erit infiniti; an nondum hæc omnia ſufficient? Immo ſufficient, &

ſufficient etiam ſuperabundanter pro tuâ juſtitiâ; ſed non ſufficient adhuc pro amore, quo feror erga homines: ſiquidem accumulare non ceſſabo merita infinita infinitis meritis ad componendum ipsis tam locupletem bonorum meorum theſaurum, ut abſolutè futurus ſit inexhauribilis, tũque ipſe, qui Deus es Omnipotens, ipſum ita exhaurire non poteris, quin remaneant ſemper infinita merita, quæ ſufficere poterunt infinitis hominibus, ad emendum tanti, quanti valet, regnum cœlorum. Hinc nunquam agere & pati deſinam pro peccatoribus toto vitæ meæ ſpatio, nec unquam contentus ero, quoad dixerò moriens ex amore ipſorum in Golgothæo vertice: *Conſummatum eſt.*

Itane, amabilis mi Jeſu, itane, infinita ratione amabilis Salvator animæ meæ, hæc ratione adhibes & accipis ingratos homines? Quando ſic multiplicas bona tua opera, paſſiones tuas, merita tua, tantas agglomerans infinitates tantis bonorum infinitatibus, manifeſtè intueor, hoc neceſſarium non eſſe ex parte Patris tui cœleſtis, nec ad ſatiſfaciendum ipſius juſtitiæ; actionum namque tuarum duntaxat unica plus quam ſufficiens foret ad hoc; nec ad demonſtrandum illi amorem tuum erga ipſum; hic enim non minùs exploratus eſt ipſi, quam tibi; nec ad obſtringendum illum, ut amet

Jeſus Chriſtus
tanta non
pertulit, niſi
ut ſuo ſatis,
faceret amori.

Zzzz 3

te;

te; infinitâ enim charitate te amat ab æterno: luculenter etiam video, illa omnia necessaria non esse, nec fuisse pro te ipso; tu enim nec minimum ex illis trahis emolumentum, ad te magis & amplius locupletandum. Certum igitur est, id esse intuitu nostri, & ex amore erga nos, quod ita multiplicare volueris superabundantem hanc bonorum ac meritorum infinitorum abundantiam; quod ipsemet per os Apostoli tui asseruisti: *Ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratia Tua, in bonitate super nos in Christo Jesu.*

Ephes. 2. v. 7.

Ita, omnia hæc facta sunt ex amore erga nos; id est, ad ostendendum nobis infinitam amoris sui erga nos magnitudinem, & accendendum amore reciproco omnium corda hominum, quem si non responderent, omnium forent ingratiissimi & stupidissimi creaturarum. Siquidem idem est, ac si manifestissime dixisset nobis: Aspice, ô homo, & vide, an generosus sit animus & sincera voluntas, plena amoris, benevolentia ac bonitatis, quod ita sacrificaverim, totumque tradiderim me pro te & tua salute: centies milies & millie millies plura quam opus erat ad salvandum te feci, ad ostendendum tibi, quod meus erga te amor infinitâ ratione transcendat id omne, quod assequi posses cogitatione:

Efficax motivum ad amandum Deum.

Et tu ingrate, tam parvi me facis, ut non tantum procul ab sis ab eo, quod plura facias pro me ultra id, quod debes, sed ne gradum quidem moveas ultra id, quod maxima tua a te exigit obligatio! Nunquam non quaeris: an ad hoc obligatus sum? Nonne sufficit, si faciam hoc vel istud? ad plura non teneor: Et tu, quæ pro me facis, metiris singula, ut rescindas, quæcunque potes; tam modicum tibi est erga me bonæ voluntatis! Et si minimum quid ultra tuam facias obligationem, putas, quod habeas me tibi obligatum, meque tibi ex eo debere plurimum! ubi est ratio tua? ubi est mens tua? ubi gratitudo tua?

Quid dicas ad hæc? ubi sanæ mentis est homo, qui hanc veritatem attentè considerans non sumè confundatur, seque ipsum excretur intuendo abominandam suam erga eum ingratitude, erga quem tantam habet obligationem? Quis non erubescat, dum videt, se nihil facere, nisi cum fastidio, & sumâ cum negligentia, quasi timeret, ne nimium & plus æquo faciat? O Deus! an sic accipimus ipsum, sic agimus cum eo? Nonne devovenda forent nobis ex æquissima grati animi obligatione singula vitæ nostræ momenta pro Jesu Christo, qui cuncta vitæ suæ pro nobis consecravit instantia? Non dicam, quod minimum instans vitæ

Nihil facere volumus pro Jesu Christo, qui omnia fecit pro nobis.

Req
ber
quis
pos

vitaꝝ ipſius, quod donavit nobis, ad merendum pro nobis, majoris fit valoris ac pretii, quam omnis vita omnium ſimul hominum: conſideranti enim hoc penitiùs, præ confuſione & pudore vix non foret moriendum. Sed ſi utrinque ambulandum foret pari paſſu, & comparanda forent mo-

menta cum momentis, ubi horæ ſunt vitaꝝ noſtræ, quas purè reddimus Jeſu Chriſto, pro omnibus diebus vitaꝝ ſuæ, quos donavit nobis? O vecors noſtra ingrati-tudo, quam es execranda! Sed revertamur ad conſiderandum, quam admirabili ratione vo-luerit mereri pro nobis.

ARGUMENTUM.

Jeſus Chriſtus, qui non erat liber ad peccandum, erat liber ad merendum.

ARTICULUS II.

AN igitur amplecti vis ſtatum merendi pro hominibus, & Jeſu Salvator peccatorum? Incomparabilis tua charitas te exſtimulat, ut ſuppedites illis abundanter, unde emant regnum cælorum: Et hinc, cum æqualis ſis Deo Patri tuo, reddis te ipſo inferior, ipſique ſubjectum, cumque beatus ſis ex juſtitia, reddis te voluntariè miſerum ac infelicem, id eſt, paſſioni ſubjectum ac mortalem velut hominum novilli-mum. Verùm hoc nondum ſufficit, oportet eſſe liberum, ut mereri quis poſſit: omne enim, quod fit coacte vel ex inevitabili neceſſitate, nec meritum habet, nec demeritum. Jam tu liber non eris: ſiquidem indifferenter extendere non poteris manum ad ignem vel ad aquam, id eſt, ad bonum vel ad malum, ſicut cæteri hominum, cum impoſſibile futurum tibi ſit peccatum vel minimum:

coactus igitur eris ad faciendum bonum; ſi fueris coactus, non es liber; ſi liber non ſis, nihil habebis meriti in omnibus operibus tuis.

Sed quomodo liber non eſſem, reſpondet ad hoc Jeſus Chriſtus, edquòd, cum verè ſim homo, habiturus ſim voluntatem humanam & liberum arbitrium ejusdem naturæ cum reliquis hominibus? Jam liberum arbitrium hominis non vult impelli coactione, nec ligari neceſſitate; aliàs deſtrueres illud, & faceres ex co-minus; quam hominem liberum; nam eſſet velut beſtia, ſi ipſum cogeres velut infelix mancipium, ſi neceſſitate ipſum ligares. Dedit Deus ſpecioſum hoc homini privilegium, quod ſemper conſervare vult ipſi, ipſumque illo à memine ſpoliari, ut faciat omnia ſua Opera, ſicut placuerit ipſi, non ſolum absque coactione, ſed etiam absque neceſſitate.

Ve-

Requitur li-
bertas, ut ali-
quis mereri
poſſit.

Verum quidem est, voluntatem ipsius non esse vitæ ipsius regulam; non spectat, nisi ad supremam voluntatem Dei esse propriam suam regulam, cum illa sit ipsa rectitudo & sanctitas per essentiam, quæ nunquam errare, aut in minima re deficere potest. Sed voluntas hominis indiget aliâ quâdam regulâ magis certâ magisque securâ, quàm sit ipsa; aliàs aberrat, deficit & defleat facillimè: libertas ipsius non datur illi, ut aberraret, sed ut benè se dirigat & moderetur; aliàs hæc non foret perfectio hominis, sed defectus, quo ipsis bestiis magis redderetur infelix. Libertas igitur ipsius non data est ipsi, ut dirigeret seipsam juxta propriam suam inclinationem: sic enim se dirigendo nunquam non à recto suo deflecteret tramite. Quare ergò data est ipsi libertas, nisi ut moderetur semetipsam? Idèò data est illi, ut ipsamet eligeret regulam infallibilem; quæ securè deducens ipsam in recto tramite, conservaret ei semper perfectam suam libertatem, illamque custodiret feliciter à lapsu in servitutem peccati, quâ turpiter privaretur, libertate, eòquòd ab hoc probrosissimâ constringatur servitute: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* È servitute, quando in hac perseverat, dilabitur in necessitatem & in quamdam coactionis speciem, à qua residua sua

Quare libertas data sit homini.

Joan. 8.

prorsus exiit libertate; Nam qui assuetus est servire peccato, experitur se quasi necessitate compulsus & ratione quâdam coactus ad semper peccandum. Vide quàm procul à vera absit libertate.

Ex hoc pulcherrimæ duæ deducuntur consequentiæ, exactâ ^{s. Augul. Epist. 98.} dignissimâ consideratione. Prima, quòd nunquam voluntas humana magis sit libera, quàm ^{voluntas libera tantò liberior, quanto sanior; tantò autem sanior, quanto ro divine gratia misericordieq; subiectior,} quando inseparabiliter adhæret voluntati Dei, eam in omnibus sequendo, eòquòd tunc nobilissimum & excellentissimum exerceat libertatis usum, quem unquam exercere possit, cum exerceat ipsum absque coactione & absque necessitate: tum quia ad hoc ex propria sua se determinat electione, sibi que per hoc securitatem acquirit se melius semper conservandi in perfecta sua libertate, immunis à periculo prolabendi in servitutem, quamdiu infallibilem hanc sequetur regulam. Altera, quæ deducitur, consequentia est, quòd non sit perfectio libertatis ferri posse in peccatum, sed potius defectus & quasi ruina libertatis hominis; cum hanc illi Deus non dederit, ut abuteretur illâ.

Hæc factâ suppositione, dicit tibi Iesus Christus, luculenter ostendo, nunquam fuisse hominem, nec unquam esse posse hominem tam liberum, sicut ego ^{Nunquam aliquis homo fuit tam liber sicut Iesus Christus.} fuc-

fuera in omnibus operibus meis, eòquòd nunquam aliquis habuerit voluntatem ſuam humanam ita in omnibus divinæ affixam voluntati. Duæ mihi ſunt voluntates in unica mea perſona divina & humana; ſuperior dirigit inferiorem, & inferior adhæret unice directioni ſuperioris, ipſamque ſequitur etiam in minimis ac leviffimis rerum circumſtantiiſ. Et ecce tibi excellentiam & triumphum libertatis meæ, cùm id non faciam nec ex coactione, nec ex neceſſitate, ſed ex libera electione, quam feci, quamque facere non deſino eadem cum libertate: faciam in omnibus voluntatem divini Patris mei, qui miſit me, cùm impoſſibile ſit, meliorem exercere me libertatis meæ uſum: procul abſum, ut eam me privem, cùm nunquam non tam perfectè utar ipſa, ut ſemper in perfectiſſimo, quod habere poſſit, ipſa perfeveret exercitio.

Nec alleges mihi, me plenâ non frui libertate, eòquòd ab hac recedere non poſſim, ut in minimum ferar peccatum, imò nec in defectum leviffimum, qui divinæ contrarius ſit voluntati. In hoc namque ipſo omnem poſſideo plenitudinem, omnemque excellentiam libertatis meæ: ſiquidem peccare poſſe, non eſt perfectio, quæ libertatem concederet humanam, ſed potiùs infi-

nitias, quæ deveniſſet ipſam: ſicut non diceres, quòd aliquis itinerans non ſit liber ad bene conſiciendum iter ſuum, eòquòd progrediendo nec labi poſſet, nec aberrare à viâ ſuâ; ex oppoſito enim hoc ipſum perfectam magis conferret ipſi id efficiendi libertatem: diceretur enim ipſi: incede liberè, non cades, neque deſlectes à viâ. Sic tantò meliùs meam poſſedi libertatem ad merendum, quòd ipſam non habuerim ad peccandum.

Sed oportet me hîc altiùs attollere animum tuum, tibi que conſiderandum proponere mirum, quo abripiaris, portentum. An nòſti, in quo conſiſtat gloria, in quo conſiſtant divitiæ libertatis meæ, interrogat Jeſus Chriſtus? Non in hoc, quòd habeam libertatem humanam in tota integritate ſuâ. Liberum arbitrium hominis, quando eſt ſolum, manet ſterile, ineptum & inhabile ad operandum quidquam, quod alicujus valoris ſit coram Deo; neceſſariò igitur conjunctum eſe debet cum divinâ voluntate, & tunc in bonis operibus ac meritis efficitur fecundum. Quando dicitur, quòd oporteat eſſe liberum, ut aliquis eſſe poſſit in ſtatu merendi; hoc quidem innuit, quòd nulla debeat aſſeſſe vel coactio, vel neceſſitas, ſed innuere non vult, nullum aſſeſſe debere cum re aliquâ vinculum & con-

Oportet ut libertas humana conjunctum faciat cum voluntate Dei, ut fecunda ſit bonis operibus.

A a a a junctio-

Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.

Joan. 14.

Peccare poſſe non eſt perfectio libertatis.

junctionem; immò potius necessarium est, ut libertas humana sacri vinculo connubii ligata sit cum voluntate divinâ, si parere velit proles generosas ac nobiles, id est, actiones perfectas, quæ habeant quidquam meriti: alias non pariet nisi spurios & nothos, id est, actiones viles & abjectas.

Vide modò, quàm splendido ac sublimi statu cohonestem liberum hominis arbitrium; vide quàm auspiciatâ forte, quàmque honorifico ac felici ipsum locuplerem connubio, cum divinâ voluntate contracto, virtute cuius ita bonis operibus ac meritis redditur fecundum, ut id solum suppeditet ipsi, unde copiosissimè omnes ditet homines, qui creati sunt, vel creari possunt ab Omnipotenti brachio Dei.

Trina tractavi connubia in solo Incarnationis mysterio. Primum inter naturam divinam & naturam humanam, quæ vinculo tam arcto ac intimo unitæ sunt, ut non nisi unicam solam constituant Personam, inseparabiliter inter se invicem per unionem hypostaticam conjunctæ, velut per nodum quemdam sacrum nunquam amplius dissolubilem. Sed hoc primum non est nisi veluti medium ad contrahendum secundum inter voluntatem divinam & voluntatem humanam, quæ similiter tam arcte & intime conjunctæ

& unitæ sunt per sacrum perfecti amoris vinculum, ut ex duabus voluntatibus non fiat nisi una, non per aliquam cõmixtionem aut confusionem essentialium, cum semper realiter à se invicem distinguantur, sed per sacram intentionum suarum perfectissimè semper in iisdem rebus convenientium harmoniam. Et tandem secundum hoc matrimonium non est adhuc nisi velut medium ad constituendum tertium inter liberum arbitrium omnium hominum & voluntatem cœlestis Patris ipsorum, quod desideratus est finis, & fructus expectatus Mysterii Incarnationis, cum verum sit, id confectum non esse, nisi ad sanctificandos homines.

Ecce ergò tibi statum libertatis humanæ in Persona mea, dicit Jesus Christus. Verum est, illam nec cogi, nec necessitate compelli, nec ita constringi, ut jus amittat libertatis suæ naturalis; nihilominus sacro alligata est vinculo, quod nunquam dirumpetur, eoque sacro quodam conjuncta sit connubio cum voluntate Dei. Sed adverte, ipsam divino hoc connubio non solum ipsam non esse violatam nec in esse suo, nec in jure suo, nec in prærogativis suis, nec in naturalibus perfectionibus suis, aut quidquam ex his amississe, non magis, quàm natura

Miræ tres prærogativæ, quas recipit liberum hominis arbitrium è suo connubio cum divinâ voluntate.

Triâ connubia in mysterio Incarnationis,

humana violata sit, vel quidquam amiserit naturalium suarum perfectionum, eòquòd conjuncta sit cum naturâ divinâ. Sed potius connubium liberi arbitrii hominis cum divinâ voluntate acquisivit ipsi admirabiles tres prærogativas, quæ in admirationem rapiunt Angelos, & summam omnium hominum constituunt felicitatem in tempore & æternitate.

Bona,

Prima est, quòd admittatur in possessionem omnium infinitorum bonorum Dei, adeoque infinita ratione evadat dives; siquidem connubiorum lex est, ut sponsus & sponsa iisdem gaudeant bonis, ut quòd spectat ad unum, spectet etiam ad alterum, cum ambo nonnisi unam exhibeant & representent quasi personam. O voluntas humana, quàm dives es, dum nupta es cum voluntate divinâ! habes enim omnia & potes omnia? verum est dicere: Homo facit in omnibus voluntatem Dei; verum est etiam dicere: Deus facit in omnibus voluntatem hominis; hæc duæ voluntates sunt, & non sunt, nisi una; duæ sunt ex conditione suâ naturali; non sunt nisi voluntas una, ex unionis sui connubii. Ecce quantum sublimetur libertas humana in Personâ Verbi Incarnati, usque ad thronum Omnipotentis voluntatis Dei, ubi regnat sicut illa, velut illius sponsa. Cogita, an

quidquam perdat ex bonis, quæ possidet naturaliter.

Secunda prærogativa, quam trahit è suo connubio, est agnatio & propinquitas tam nobilis, ut creaturis omnibus summam pariat admirationem; siquidem propinquâ conjungitur necessitudine cunctis tribus Personis adorandæ Trinitatis; habet ipsa jus vocandi primam suam Patrem, secundam suum Verbum, & tertiam suum Spiritum Sanctum: omnis hic honor congruit ipsi, eòquòd virtute connubii sui verè intret in possessionem omnium bonorum divinitatis. Verum est etiam, quòd reciprocè divina voluntas contrahat cognationem cum omnibus Personis Sanctis, quæ sunt extra Deum. Vide, quid exaratum sit in Evangelio. *Jesus Christus interrogat: Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei? habet quidem Patrem in Divinitate; sed non habet matrem, nec fratres, nec sorores; & nunc dum nupta est divina voluntas cum humanâ; ecce tibi novam cognationem, quam ipsemet agnoscit & manifestis exponit verbis, dicens* *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater & soror & mater est.* O prodigium! ô mira felicitas duarum voluntatum, divinæ & humanæ, e quibus resultare con-

Cognatio.

Marth. 12.

Aaaaa 2

spici-

spicitur tam insignis propinquitatis & necessitudo! Creator & creatura, personæ divinæ & humanæ, si adhæreant divinæ voluntati, junguntur inter se cognatione, sed cognatione tam propinquâ, qualis est esse Patrem, esse Matrem, esse fratres & sorores.

fœcunditas,

Sed tertia prærogativa, pluris adhuc à te æstimanda, eòquod majorem tibi afferat utilitatem, est, quòd ex auspicio hoc connubio liberi arbitrii hominis cum voluntate divinâ in Personâ Verbi Incarnati, tam mirâ nascatur fœcunditas, ut nesciat finem, nullis stringatur limitibus: nascitur ex eo omnis gratia omnis sanctitas, omne meritum, omnes pretiosæ æternitatis divitiæ, quæ omnem constituunt pulchritudinem, omnemque Ecclesiæ tum triumphantis, tum militantis gloriam; cum verum sit, quòd nec quidquam habeant boni, id est, nec gratiæ, nec meriti, nec gloriæ, nisi quòd divinum hoc connubium produxerit ipsis ad ingentem ipsorum felicitatem. Divina voluntas sola nihil poterat mereri, & voluntas humana sola non poterat satis mereri; sed quando simul copulantur, Deo soli exploratum est, quanta ipsarum sit fœcunditas in producendo incessanter factas, quantas voluerint, actiones nobiles & perfectas, omnesque plenas meritis,

Hâc ratione oportet esse liberum ad merendum, liberum à peccato, à coactione, à necessitate, & servitute; sed non liberum à conjunctione & intimo vinculo cum voluntate Dei; siquidem non portare amabilem hanc catenam, non est esse in libertate, sed potius in libertinismo & effræni vivendi licentiâ; & quamdiu in hac quis vivit, nil operari potest, quòd sit meritorium; aut e contra, quantò magis quis illigatus est catenis hisce aureis, tantò magis est in statu merendi, cum omnia, quæ facit, majoris sint pretii.

Et nihilominus hoc nondum est, quòd diadema imponit, nec quòd supremum nobilitatis characterem imprimit meritis Redemptoris. Dicere, quòd voluntas ipsius humana, unita cum divinâ per vinculum charitatis & gratiæ sanctificantis, quam in omni habuit abundantâ, quæ congruebat animæ Dei-Hominis, meruerit plura in omnibus, quæ faciebat, quam intellectus aliquis humanus comprehendere posset, eòquòd meritorum ipsius mensura desumatur à magnitudine ipsius gratiæ: multum profectò est dicere; nihilominus hoc non est dicere, merita ipsius fuisse infinita, eòquòd gratia ipsius sanctificans, quæ illorum mensura est, cum
crea-

Quare voluntas humana mercatur infinitâ ratione in Jesu Christo.

creatura sit, infinita non sit. Sed quando consideratur gratia unionis hypostaticæ, quæ facit, ut hic homo, qui agit, qui patitur, qui meretur, sit verè Deus, invenisti principium valoris & infinitæ dignitatis meritorum ipsius. Non attendas solùm, actiones ipsius procedere ab Humanitate; sed perpende Humanitatem totam absorptam, totam transformatam, totam delibutam unctiōne divina, totamque illustratam esse splendoribus divinitatis: & non vanè judicabis, ipsam nihil egisse, quod non esset prorsus divinum & infiniti valoris. Non advertas solùm, sanctam hanc Humanitatem totam fuisse repletam, & si ita loqui licet, exundantem & diffluentem gratiâ sanctificante; sed vide, quòd, cum unita fuerit cum naturâ divinâ, ut non esset nisi eadem cum ipsâ Persona, videatur habuisse per hoc, veluti certam quamdam radicem, pertingentem usque ad ipsam divinitatem, & ad omnia attributa divina, ad extrahendum exinde vitam, virtutem, excellentiam, dignitatem quamdam infinitam, quas omnes prærogativas effundebat super omnia opera sua, à quibus accipiebant meritum verè infinitum.

Divinitas enim Humanitatis unctio est,

Nicetas lib. 3. thesauri, c. 3.

Bone Deus! qui hæc perpenderet, quousque tandem deveniret? Quando intueor minimam actionem vitæ Jesu Christi, & video ipsam esse momentam omninò auream, insignitam imagine Principis, pondero illam, & hic invenio pondus quoddam, valorem ac meritum infinitum; admiror illam amplius, plurisque æstimo, quàm si viderem producentem Deum è fundo nihili, per potentiam Verbi sui mundum alium naturalem, æqualis cum præsentis, quem cernimus, amplitudinis & magnificentiæ: siquidem in hoc non video, quòd Deus trahat aliquid ab intus ex seipso, ut mihi det illud, non haurit nisi è nihilo, & quamvis illud, quod inde trahit, sit solidum, plurimùmque habeat splendoris, semper tamen dicere possum, id non esse, nisi res nihili, utpote è sinu nihili generatas, sic ea omnia nunquam prætereundere possunt ut ingrediantur unquam in sinum Dei, eòquòd non prodierint ex eo: tota ipsorum inclinatio est versus nihilum, unde prodierunt.

Sed quando aspicio meritum infinitum unius duntaxat actionis Jesu Christi, interrogo, unde id venit: video id non venire ex nihilo; nullam enim meritum in omnibus illis invenire

Unicum meritum Jesu Christi majoris valoris est universo simul mundo.

Jesu Christus nobis sua merita è proprio extrahit corde,

Aaaaa 3

venire

venire est abyssis, video, non proficisci illud à pura aliqua creatura, cum hæc nihil efficere possit infinitum; sed video, quòd trahatur è thesauris boni infiniti; video, quòd prodeat è corde Dei ipsius: is id accipit è corde suo, ut donet mihi, est propria ipsius divinitas, est ipsius Omnipotentia, est infinita ipsius bonitas, quæ valorem & infinitatem tribuit huic merito. Est igitur aliud omninò opus, alterius ponderis & alterius dignitatis, quàm totus hic mundus materialis, quantumvis amplissimus & prodigiosæ omninò molis, eòquòd aliam prorsùs habeat originem & prodeat à principio, à quo infinità ratione attollatur supra ipsum. Sic legitimum habet jus intrandi in sinum Dei, & secum illos introducendi, quos invenerit aliquà portione sublimis hujus meriti locupletes.

Quantum prodigium, videre Jesum Christum incessanter accumulantiem infinita merita, meritis insuatis.

Quantum prodigium, bone Deus, si viderem manum Dei incessanter educentem novos mundos è sinu nihili, illòsque semper in singula momenta accumulantiem per spatium triginta trium annorum! Sed ecce longè aliud tibi prodigium!

quando intueor Jesum Christum incessanter infinita merita infinitis meritis accumulantiem in singula totius vitæ suæ momenta, quæ triginta tres conficiunt annos, quos exegit in terris, quin unquam cessaverit à primo usque ad ultimum; maximè, cum verum sit, unicum ex his meritis majoris esse valoris, quàm omnes materiales mundi, quos Deus creare potuisset è nihilo per cuncta sæcula. Omnes intendant nervos tum Angeli, tum homines, nunquam comprehendere poterunt infinità ratione locupletem thesaurum meritorum Jesu Christi.

Quando intueor hanc excellentiarum immensitatem, quæ omnem meum excedit captum, quæ me confundit, quæ me obruit, quæ suæ Majestatis me opprimit splendoribus; adoro Jesum Christum, qui illarum est principium, admiror illum, & humili cum reverentiâ interrogo ipsum: Pro quo, Domine, hæc omnia? pro quo tanti meritorum thesauri? Siquidem non sunt pro te ipso, qui illos accumulatis: Est tibi animus illos elargiendi. Sed cui?

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quinam sint, pro quibus Jesus Christus voluerit mereri.

ARTICULUS. III.

DUM interrogabam, pro quibus Saluator mundi mereri voluerit tum agendo, tum patiendo tempore vitæ suæ, cum primis in articulo mortis, expectans responsum ab ipso Jesu Christo, videre mihi videbar certa quædam spectra, quæ videbantur quasi monstra e puteis inferni prodeuntia. Illorum Dux fuit certus quidam Otto Brunsfeldius, qui se primum exhibuit & dicere est ausus, quòd Jesus Christus mortuus sit in Cruce, & meruerit pro omnibus creaturis, bonis & malis, ratione præditis & rationis expertibus, eòquòd, cum peccatum infecerit omnia, opus quòque fuerit, ut omnia ipsius purificarentur sanguine. Hæc propositio horrore me primùm percudit, sed quia videbam ipsum neminem numerare sui sequacem, & ab omnibus condemnari imaginationem hanc non minùs insulsam, quàm impiam, non aliud pro responso obtinuit, quàm magnum sui despiciatum.

Sequebatur ipsum aliud spectrum, cui nomen Samuel Hubert, qui firmiter tenebat, & in pu-

blicis thesibus defendebat, quòd Jesus Christus mandatum acceperit à Patre suo, ut mortem subiret pro toto inferno, & mereretur ad salvandum ipsos diabolos. Apage hæretice & blasphemæ: Jesus Christus factus est homo ad salvandum homines; sed mortuus non est, nec meruit ad salvandum rebelles Angelos, qui capaces non sunt gratiæ & misericordiæ.

Intuebar posthæc multitudinem aliorum spectrorum, quorum duces agebant maligni spiritus, quos suos nuncupabant genios, Calvinum, Lutherum, Melanctonem, Bezam, Bulingerum, & post ipsos alios recentiores, qui ipsorum sectæ quidem non adhærebant, magnâ tamen juncti cum ipsis erant amicitia, ob magnam opinionum suarum inter se conformitatem, qui omnes persuadere volebant mundo, quòd Jesus Christus, cum salvare non vellet omnes homines, sed solummodò prædestinatos, non sit mortuus, nec quidquam meruerit, nisi pro his, quorum minimus est numerus, quòdque respectu aliorum habuerit animum, privandi ipsos bene-

Jesu Christi
non meruit
pro diabolis,

Est hæresis,
dicere Jesum
Christum non
meruisse, nisi
pro prædesti-
natis.

Otto Brunsfeld. lib. de Pandectis Evangel.

Jesu Christi non meruit pro omnibus creaturis.

Bernæ 1588.

beneficio mortis suæ: allegabant aliquas rationes, quæ parum habebant verisimilitudinis, & quædam argumenta minoris adhuc valoris, quæ autem speciosis admodum proferebant verbis, facientes se audiri, & audientes semetipsos velut oracula. Intelligebam prætere ipso, partium suarum esse omnes difficiliore decideret quæstiones, sibi que à cunctis hominibus adhibendam fidem, utpote viris acrimoniâ ingenii præstantissimis, omnésque sibi non consentientes & scientiâ carere & ingenio; videbam quoque contemnere ipsos Ecclesiæ auctoritatem. Hanc ob rem æstimavi ipsos hæreticos, & absque eo, quod immorari vellem disceptando cum ipsis, vel solummodo ipsos audiendo, inquirebam oraculum certum, à quo explanari & declarari mihi posset veritas.

Est articulus fidei, Iesum Christum mortuum esse pro omnibus.

Trident. sess. 6. cap. 3.

Recurro igitur ad Ecclesiam, quæ fallere me nequit; siquidem S. Paulus vocat ipsam columnam veritatis immobilem: re ipsâ video, ipsam semper manere erectam, more columnæ inconcussam, semper eandem, semperque invariabilem à temporibus Iesu Christi; & dico intra memetipsum: Nullibi major mihi certitudo, quàm si huic ad hæream columnæ. Video illam mihi dicere in Concilio Tridentino: Credimus, quod Iesus

Christus mortuus sit pro omnibus hominibus, id est, quod obtulerit merita passionis suæ pro omnibus, & pro quovis hominum, quamvis omnes beneficium mortis ipsius non recipiant, sed tantum illi, quibus meritum passionis ipsius communicatur; ita ut sit, sicut dicit S. Paulus: *Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Ecce igitur, quid credere debeam, velut veritatem à Spiritu Sancto revelatam, & edoctam ex ore Ecclesiæ, quæ ipse Iesus Christus expressis asserit verbis: quod, si quis Ecclesiam non audierit, æstimandus sit velut Ethnicus & Publicanus.

Ita, credo æquè ac tu, quod Iesus Christus & mortuus & meritus sit pro omnibus, dicit Beza, & id ipsum Genève propugnari publicè in thesibus; sed quantum ad sufficientiam, id est, quod merita passionis eius sufficientia fuerint ad salvandos omnes homines etiam reprobos, si voluisset hæc offerre pro ipsis, cum sint infinita; sed offerre illa noluit justitiæ Patris sui, nisi pro solis prædestinatis. Sed tali ratione etiam poteris dicere, quod passio Iesu Christi sufficientia habuerit merita, & plus quàm sufficientia ad salvandos ipsos diabolos, cum infinita sint; & si hoc sufficiat ad dicendum, quod mortuus & meritus sit pro omnibus, suæ.

I. Tim. 4. v. II.

Beza in thesibus Genève excusis fol. 129.

Non sufficit dicere, quod Iesus Christus mortuus sit pro omnibus hominibus, quantum ad sufficientiam pretii mortis suæ.

nibus, poteris extendere theses tuas publicas, & defendere in illis; quòd etiam mortuus sit pro diabolicis; & hæc dicens hæreticus fuisses & blasphemus, qualis re ipsa es. Sic Ecclesia non docet, quando credere nos vult, Jesum Christum mortuum esse pro omnibus.

Quâ ratione
credendum
sit, Jesum
Christum
mortuum esse
pro omnibus
peccatoribus.

Sed ipsa docet, quòd Deus, cum nunquam creaverit aliquem hominem ad imaginem suam, nisi cum animo faciendi ex ipso aliquem Beatum per possessionem gloriæ suæ, salvare velit ipsos omnes; quòd Jesus Christus incarnatus sit pro omnibus, quòd mortuus sit, quòdque meritus sit pro salute omnium, non solum in generali & confusè, sed etiam sigillatim & in particulari. Mortuus est & meritus est pro quovis hominum, ac si non fuisset, nisi ipse solus in mundo, citra id, quòd excludere voluerit vel unicum à beneficio mortis suæ, non solum ipsam reddens sufficientem ad salvandum omnes, sed etiam offerens semetipsum Patri suo pro omnibus, cum voluntate actuali & animo sincero, ut proficeret omnibus, & nec unicus illo privaretur. Ecce quid fecerit ex parte sua, & in quo sensu verum sit, quòd mortuus sit pro omnibus, quòdque sit meritus ad salvandum omnes, quamvis non ignoraverit, reprobos semetipsos mortis &

meritorum suorum beneficio privaturos & perituros ex culpa sua, contra intentionem ac voluntatem suam. Hæc doctrina Catholica tam clarè nobis manifestata & tradita est in sacra Scriptura, tamque conformis est infinitæ bonitati Dei, & necessitati omnium infelicitum peccatorum, tam denique consolatoria pro omnibus, ut mirum sit, unicum solum in mundo reperitum esse animum, qui sibi contrarium potuerit persuadere.

Nonne legimus suavissima illa verba, quæ dilectus Domini nostri discipulus exaravit nobis in prima sua epistola: *Ipse est propitius pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi?* An veritas clarius enuntiari possit? nonne legimus alibi: *Qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus?* Estne hoc dicere, quòd se non dederit, nisi pro parva parte? nonne videmus alibi, quòd *Deus nolit aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti?* Princeps Apostolorum est, qui asserit hæc verba, ubi antithesin ponit duorum verborum admodum contrariorum, quæ se invicem efficaciter confirmant, aliquos & omnes. Qui sunt illi, quos Jesus Christus excludere vult à participatione meritorum suorum, ut illos perire permittat? Aliqui. Qui sunt ergo illi, pro quibus meritus est, quosque

I. Joan. 2.
v. 2.

I. Tim. 2.
v. 6.

2. Pet. 3.
v. 9.

Probationes
ex Scriptura.

B b b b b

desi-

desiderat proficere ex eo pro salute sua? omnes. An quid luculentius vel efficacius dici possit ad confirmationem veritatis?

Si habuisset voluntatem moriendi non nisi pro solis prædestinatis, an S. Paulus, cui probe explorata fuerat ipsius intentio, eum hanc didicerit ab ipsomet in tertio cælo, tanta cum certitudine dixisset: *tradidit semetipsum pro me?* quid enim sciebat, se esse ex numero prædestinatum? videmus, quod ipsemet declarat nobis, timere se, ne reprobis sit accensendus: *Cassigo corpus meum, inquit nobis, & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicavero, & ipsemet reprobus efficiar.* Quomodo dicis ergo nobis magne Apostole, & quomodo tradis scriptum nobis, velut articulum fidei, quod tradiderit semetipsum pro te in particulari, cum eadem certitudine fidei non sis assicuratus, te esse prædestinatum? ideò, quia certissimus sum, quod tradiderit se pro omnibus absque ulla exceptione tam bene pro reprobis, quam pro prædestinatis; & omnis homo vivens, quisquis sit, dicere possit ac debeat, quod ego dico: *tradidit semetipsum pro me* in particulari. O si bene quis ponderaret hoc verbum & ipsius comprehenderet sensum, quomodo cohibere se posset, quin ex tota a-

nima sua Jesum Christum amaret?

Ex hoc ipso vas hoc electionis, hoc instrumentum Spiritus Sancti format efficax hoc argumentum, quod non solum urget omnes animos ad credendum, quod Jesus Christus se obtulerit Sacrificium pro ipsis, ut sui pretio sanguinis acquireret ipsis vitam æternam, sed quod piam quamdam violentiam omni infert voluntati, ut incomparabile hoc beneficium æquissimo grati animi recolat affectu. Nam ecce quâ ratione loquatur nobis: *Charitas Jesu Christi urget nos: astimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Quid efficacius dicere posset ad assequendum scopum suum? Volebat omnes hominum animos extimulare ad servitium & amorem Divini Magistri sui; & quia efficacius motivum non habebat ad inflammandum ipsos amore, quam ostendendo illis, quam ardentem fuerint amati, declarat illis magnum charitatis Jesu Christi erga ipsos excessum in hoc, quod ipse amaverit plus omnia propria vita sua, & manifestam obligationem, quam habent, amandi ipsum, in hoc, quod ipsos omnes libe-

Efficax discursus S. Pauli.

Galat. 2.
v. 20.

1. Corinth. 9.
v. 27.

2. Cor. 5.
v. 14.

rave-

raverit à malo infinito, ut in boni infiniti immitteret ipsos possessionem. Et ecce tibi efficaciam argumenti ipsius.

Considerate bene miserabilem statum, in quo eratis omnes, omnes obnoxii peccato, quod condemnabat vos ad mortem æternam; & nec unus ab eo exemptus erat; insuper permanissetis in ipso omnes usque in æternum. Et ecce Jesus Christus ex mera sua bonitate, & ex unico suo erga vos amore, voluit assumere mortem omnium in unica & sola Persona sua, & solus ipse pati pro omnibus, ut vobis donaret vitam æternam, quam nunquam nisi per mortem ipsius assequi poteratis; & tanta ipsius erga vos est charitas, ut tradiderit semetipsum, ut vobis omnibus acquisierit ac emerit vitam sui pretio sanguinis & propriæ vitæ suæ, ut illi, qui pretiosam hanc obtinuerint sibi ab ipso donatam vitam, non vivant amplius sibi ipsis, sed unice illi, qui vitam contulit ipsis morte suâ.

Procul dubio hoc valde urget, quando quis in particulari obligatus est agnoscere sincere & confiteri candidè magnam hanc veritatem: Tolenda mihi fuerat mors æterna & tormenta perpetua, & ab iis liberatus sum; privatus

fueram vitâ æternâ & possessione bonorum infinitorum in æternitate, & habeo jus adeundi illorum possessionem; & debeo hæc omnia charitati infinitæ Jesu Christi amabilissimi Redemptoris mei, qui mortuus est pro me ex sola bonitate sua & ingenti erga me amore; Ita pro me miserabili, pro me infinitâ ratione indigno. Ecce malum infinitum, a quo me liberat; ecce bonum infinitum, quod mihi acquirit, sacrificando se pro me, tradendo sanguinem suum, & propriam vitam suam. Quid ergo faciendum mihi pro ipso? Nonne debeam ipsi totam vitam meam, & totum esse meum, & omnia servitia mea & omnia studia mea? Quando mihi forent centeni milliones cordium, non tantum, quantum teneor, amare possem ipsum. Ecce tibi doctrinam S. Pauli, qua urget efficaciter, & quasi vi cogit corda durissima & omni privata humanitate; & sicut volebat, ut omnes amarent Jesum Christum, nullo prorsus excepto, ita volebat quoque, ut crederent firmiter magnam hanc veritatem, quæ urgeret omnes & quasi cogeret ad ipsum amandum.

Quod si aliquis venisset ex secta Calvini, vel eximjis illis ac ingenio præstantibus viris,
Bbbbb 2 qui

Nullum ha-
bet robur di-
scursus, qui
opponitur
discursui S.
Pauli,

qui ipsius adherent opinioni, & alia quam S. Paulus discursisset ratione, mundoque dixisset: persuasum sit vobis, Jesum Christum non esse mortuum pro omnibus, nec ipsum mereri voluisse omnium salutem, sed solummodo predestinatorum, quorum numerus valde est parvus, & nemini constat, an accenseatur illis: pro omnibus aliis, quorum ingens est numerus, non habuit veram & sinceram voluntatem; poterat quidem etiam pro ipsis offerre merita Passionis suae, & hoc non pluris stetit ipsi; sed noluit: Nonnisi ergo pro paucissimis ex vobis mortuus est, & ignoratur, pro quo in particulari; & propterea amate illum ex toto corde vestro. Quid quaeso ejusmodi discursus fecisset commotionis in cordibus hominum? Verba S. Pauli nihil habuissent efficaciam ad persuadendum illis, si dixisset: Fratres mei, charitas Jesu Christi urget nos, quia pro paucissimis ex vobis est mortuus & nescitur adhuc, quinam sint illi; amate igitur ipsum ex toto corde vestro.

An ex hoc vel unicus moveri ac persuaderi potuisset? Nonne hoc potius fuisset dissuadere, & omnes à Christi avertere charitate? Ubi sanæ mentis est homo, qui ejusmodi auscultans

doctrinam, sentiret persuasum se animo & corde commotum, affectu vel minimo devovendi sese totum Jesu Christo, illi serviendi, ipsum amandi? Fortassis enim, dices, non est mortuus pro me, cum mortuus sit pro tam paucis? Et si hoc est, cum magnam habeam ansam de eo dubitandi, non multum illi obligor, & per hoc omnes homines universaliter, tam reprobis, quam Predestinati ipsi fuissent affecti tadio pietatis; pro eo, quod econtra omnes homines universaliter, tam predestinati, quam reprobis, nullo prorsus excepto, urgeantur efficaciter ad amandum Jesum Christum per S. Pauli doctrinam. Nam quando fores reprobis, & nunquam nec frui deberes vitam aeternam; nec aeternam evitare mortem, semper tamen infinita ratione ipsi obligatus manes, eoque mortuus sit pro te, & fecerit ex sua parte omnia, quae necessaria erant pro salute tua, ex amore incomparabili, ob quem obstringeris amare illum ex toto corde tuo; & si illum ita amares, reprobis non fores.

Haud veritus est olim Beza coram numerosa coronâ Magnatum Germaniæ, crudelem hanc & impiam è suggestu pro-palare doctrinam, quod Jesus Christus mortuus non fuerit pro explosis,

Beza prædicans Jesum Christum non esse mortuum pro omnibus, ab ipsis hæreticis fuit

pro omnibus peccatoribus, nec mereri voluerit cœlum, nisi Prædestinatis, absolutè excludens omnes alios à Passionis suæ beneficio; qui tantum exinde conceperunt horrorem, ut mox imposuerint ipsi silentium, & expulerint ipsum. Quâ ratione audire possent aures Catholicæ talem doctrinam, quæ ipsis hæreticis adeò videbatur abominanda, ut refugerent auscultare illam? Et certè quid pro-ducere ipsa posset in animabus

nisi affectus pessimos, murmuraciones, horrores, ambiguitates pusillanimitates, neglectum salutis, magnamque ad desperandum proclivitatem; pro eo, quòd doctrina Catholica confirmet, animet, consoletur, & excitulet omnes ad sui amplectum magnâ etiam cum voluntate animique oblectatione. Revertor ad considerandum illam, & video nihil esse magis honorificum, magis dignum applausu.

ARGUMENTUM.

Eadem Veritas probatur ratione.

ARTICULUS IV.

Non sufficit, Deum velle nostram salutem; debemus & nos velle illam.

REcurro ad ipsummet Jesum, Christum, eumque interrogo; Domine, cum verum sit, quòd salvare velis omnes homines, quòd mortuus sis pro omnibus, quòdque tua sit intentio, ut immensus meritorum tuorum thesaurus seruiat omnibus hominibus ad emendum Paradisum: cur igitur non omnes saluantur? Nonnè es omnipotens ad faciendum omnia, quæcunque tibi placuerint? **Quis** tuæ resistere potest voluntati?

Respondet mihi: verâ ac sincerâ voluntate volo ut omnes homines participes fiant fructuum Passionis meæ, & salventur omnes: verum est etiam,

voluntatem meam esse omnipotentem; verum non utor totâ & absolutâ voluntatis meæ potentiâ, quando ago cum hominibus, qui fruuntur privilegio libertatis suæ, sicut utor illâ cum reliquis creaturis, quibus mihi resistendi non contuli libertatem. Non sufficit velle me, ut omnes salventur homines, sed oportet idipsum & velle illos; Ego volo, & ipsi nolunt; Ego ipsis offero meas gratias, & ipsi illas repudiant; ego ipsos urgeo, ipsosque impello, & ipsi mihi resistunt: quando pereunt, ipsorum sola est voluntas, & non mea: nunquam enim puniuntur, nisi quia meam facere nolunt.

Bbbbb 3

lue-

luerunt voluntatem. Id nōrunt & ipsimet fateri coguntur, se non esse miseros, nisi quia esse voluerunt. Siquidem inauditum est, unquam aliquem ex damnatis ausum fuisse exprobrare Deo: Miser sum, quia voluisti.

Sed, Domine, quomodō credere possumus, te velle salutem tot miserorum infantium; qui suffocati moriuntur in sinu matrum suarum, abs eo, quōd unquam fuerint in statu, in quo recipere potuissent sancti gratiam Baptismi, sinē quo intrare non possunt regnum Dei, juxta proprium effectum tuum? Quā ratione persuadere nobis possumus, infinitorum meritorum tuorum thesaurum esse pro tot ac tantis nationibus infidelibus, quæ tuæ non sunt membra Ecclesiæ, quæ nullam veritatis habent cognitionem? Ubi sunt gratiæ, quas exhibes ipsis? ubi media salutis, quæ ipsis præparas?

Quomodō
verum sit De-
um velle sa-
lutem parvo-
rum infan-
tium, qui mo-
riuntur, ante
quā nascan-
tur.

Mihi respondet, quōd gratia, quæ perficit naturam, non fit facta, ut cursum naturæ invertat. Si aliquis infans moriatur in sinu matris suæ ex indispotione naturali, vel alio defectu, cujus ipsa est causa, est hoc accidens, cujus gratia nullam habet partem, & dici non potest, gratiam defuisse naturæ; sed dicendum potius est, natu-

ram defuisse gratiæ; & quōd si pauper hic infans moriatur absque gratiā Baptismali, & consequenter non obtineat salutem, non id est ex voluntate Dei; vel ad summum est ex voluntate, quæ id permittit, & non ex voluntate, quæ id ordinat, discernit, imperat.

Pari ratione res agitur cum illis, qui nascuntur inter nationes infideles. Si aliquis infans nascatur ex tali Patre, in tali tempore, in tali loco, & talis conditionis, hic est naturalis rerum humanarum cursus, quem non invertit gratia: nascitur is remotus à sole divino, qui posuit tabernaculum suum in Ecclesiā suā; si non recipit ex eo tam abundanter lumina, calores, influxus, hoc non impedit, quin is ubivis diffundat illos; & si naturales ipsorum indispositiones sunt obstaculo, ne tam copiosè participet ex iis, sicut alii, dicendum non est, gratiam defuisse naturæ, sed potius, naturam defuisse gratiæ. Ita miseri & infelices sunt nati secundum cursum naturæ, quem gratia non impedit.

Jesus Christus
vult salutem
nationum
infidelium.

Et quis dicet, quōd sol materialis maturitatem tribuere non lit cunctis fructibus, quamvis inventiantur ex illis, qui non maturescant, eò quōd producantur in climate, vel aliā quādam dispotione, quæ impediat, ne

Jesus Christus
est sol, qui
vult ex parte
suā omnes
fructus red-
dere maturos.

reci-

recipiant copioſè ſatis ipſius calores, ipſius influxus. Ipſe, quod ſuarum eſt partium, facit; cùm communis totius naturæ ſit Pater; ſi fructus ſint, qui pereant, non ſtat per illum, ſed defectus eſt ſubjecti. Sic aſſerendum non eſt, quòd Redemptor univerſalis cunctorum hominum ſalvare non velit omnes peccatores, quamvis plures reipſa non ſalventur. Ipſe ex parte ſua copioſam facit & abundantiffimam redemptionem; theſauri gratiarum & meritorum ipſius, quos aperit, quòsque omnibus offert, ſunt inexhauſti; ſi plures ex illis non proficiant, non ſtat per Redemptorem, ſed eſt defectus, infelicitas, & indiſpoſitio hominum.

Et quid prodeſt ergò, divine Redemptor, te mortuum eſſe indiſcriminatim pro omnibus peccatoribus, teque obtuliſſe Deo Patri tuo tua merita pro omnibus, nullo prorsùs excepto, nequidem Anti-Chriſto, cùm innumerabilis multitudo reproborum nullum exinde trahant fructum, hauriant profectum? Tu noveras, ea omnia fore inutilia; ut quid ergò illa facere voluiſti? an ſponte res agis in vanum? Nam quis effectus Paſſionis tuæ reſpectu omnium reproborum?

Habet ipſa mirabilem effectum, reſpondet mihi: nam ſi

non ſalvet ipſorum animas, ſal-^{Effectus ad-}vat tamen gloriam Dei Patris^{mirabilis paſ-} mei. Ut id intelligas, conſi-^{ſionis Domi-}dera, peccatum eodem tem-^{ni reſpectu} pore, duo ingentia progignere^{reproborum.} mala: primum eſt, & maximum, quòd atrocem injuriam inferat Majeſtati infinitæ Dei, & ex hac parte illud infinitum eſt malum. Secundum eſt, quòd deprædetur, perdat & occidat animam, & ex hac parte eſt malum æternum pro illâ, à quo ſe nunquam liberare poteſt propriis viribus. Paſſio mea eodem ſic tempore, utrumque reparat malum peccati, ſed modo diverſo. Quantum enim concernit reparationem injuriæ Deo factæ, hoc non dependet niſi à voluntate meâ, & ideo nunquam non aſſequor primum hunc finem, qui præcipuus eſt, quem ſpectavi in myſterio Incarnationis; quam etiam ob rem patiendum mihi fuerat pro omnibus peccatis hominum, ita, ut nec unicum inde excipiatur, non magis pro peccatis reproborum, quam illis prædeſtinatorum, eòquòd nec unicum ſit, quòd non infinitâ injuriâ afficiat Deum, quam reparare mearum partium erat per ſacrificium mortis meæ.

Sed aliud malum peccati, quòd reſpicit perditionem animarum id committentium, non ſolius eſt meæ voluntatis reparare. De-
beo

beo id velle primus, & etiam volo; sed ipsæ debent id velle post me & mecum; & plerique nolunt efficax gratiarum mearum, quæ reparare omnes ipsorum possunt ruinas, acceptare remedium. Insensati, dum recipere nolunt infinitum, quod illis gratuito offero pretium ad solvendum infinita, quibus tenentur justitiæ Dei Patris mei debita; dumque solvere ipsimet illa malunt in æternum, absque eo, quod unquam satisfaciant per cuncta inferni tormenta.

Ita, amabilis mi Redemptor, hoc optime declarat mihi, quam necessarium sit credere, te mortuum esse pro omnibus hominibus, & etiam pro omnibus peccatis hominum in particulari. Sed non capio, quid lucri imaginari sibi potuerint homines pro te, vel pro se, persuadendo sibi, te mortuum non esse pro omnibus, teque omnes salvandi non habuisse intentionem.

Motiva, quæ habere possunt ii, qui dicunt Jesum Christum non esse mortuum pro omnibus.

Totum lucrum, quod anhelare pro se possent, est, quod, cum deserere nollent effrœnem suam vivendi licentiam, nec immoderatos suos edomare animi affectus, quibus vecorditer famulabantur, abscondere vel aliquâ ratione imminuere suum cogitarent probrum, non absque horrenda dicendo blasphemia, sibi gratiam defuisse: quodque ad pacificandum arrodentem

conscientiæ suæ vermen, qui suam ipsis exprobrabat ingratitude, cum non viverent pro ipso, qui pro se mortuus erat, nec ex toto corde ipsum amarent, à quo videbant se propriâ suâ vitâ amari magis; crederent hanc sibi tolli obligationem, dicendo, ipsum non esse mortuum pro omnibus, sed solum pro parvo prædestinatorum numero; quodque, cum certi non essent, an ex illis sint, vel non sint, sibi ingens hæc non incumberet obligatio me amandi, mihi que inserviendi: & tandem, cum contemnerent legem meam, à qua condemnabantur coram cælo & coram terra, ad excusandum se dicerent, sibi in statu, quem tenent, mandata mea servatu esse impossibilia.

Sed dicendo hoc atrocissimam mihi inferunt injuriam, inquit Jesus Christus: siquidem propugnando, me non esse mortuum pro omnibus, nec animum habuisse salvandi omnes, credere debent, me id vel non potuisse, vel id noluisse: si dicant, me suppeditare non potuisse totam summam, quæ necessaria est, ad satisfaciendum ex integro, pro omnibus peccatis hominum, credere me debent pauperem & impotentem, quod propriè est dicere, me Deum non esse; & nemo inter ipsos hoc dicere auderet. Si credant, me

Quanta sit injuria Jesu Christo, dicere quod mortuus non sit pro omnibus,

me id noluisse, exigui vel nullius erga se amoris & bonitatis me arguant necesse est. Si teneant, me nec amoris nec bonitatis habuisse satis, ut extendere ad omnes homines, & à parvo tantum numero omnem meam bonitatem, omnem meum amorem fuisse exhaustum, hoc vehementissimè affligit me, ipsumque exulcerat mihi cor, ac vulnerat animum; mavelim enim meam potentiam, quam meum amorem laceffiri injuriâ.

Quod impossibile sit dubitare de amore Jesu Christi erga nos.

Itane? post hæc omnia, quæ feci, post hæc omnia, quæ perituli pro hominibus, ipsi dubitent adhuc de infinito meo erga se amore? Itane? viderint ipsi, Deum Majestatis infinitæ pro se annihilatum, & ex amoris sui abundantia dilapsum velut in extasi è sinu Patris sui inter brachia sua; & revocarent in dubium, an ita amentur ab ipso, ut nec unicum suorum excludere velit ab amplitudine amoris sui? Itane? conspexerint ipsi hunc Deum annihilatum exigere in terra vitam pauperem, afflictam, calamitosam, omni adversitatum, laborum & tribulationum genere refertam, quin unquam pro semetipso fecerit quidquam, & ambigui adhuc hærent de amoris ipsius magnitudine? verum, quod excedit omnia, an viderint ipsum confixum cruci, sacrificare honorem

suum, corpus suum, animam suam, propriam vitam suam perprobrosissimum pariter & pœnotissimum supplicium, ut perendo se salvaret ipsos; & interrogarent adhuc, an eòsque diligam ipsos, ut mori voluerim pro omnibus, & omnes salvare? Loquimini vulnera mea, loquere o vox omnipotens sanguinis mei, quem torrentis in morem effundo pro ipsis; loquere cor meum apertum; loquere caput meum spinis transfixum, loquere totum corpus meum virgis concisum: dicite illis, an Deus Omnipotens in hunc redactus statur ad salvandos peccatores, eòsque diligat ipsos, ut sincerum habeat animum salvandi ipsos omnes.

Probè video, amantissime mi Salvator, amorem tuum nullis arctari limitibus, diligere te nos sine fine, & magis quam propriam vitam tuam. Sed vide-
ris non amare temetipsum, qui infinità ratione es amabilis; siquidem omnia tua nobis elargiris bona: an igitur nihil servabis pro te? Itane ergo? nulla tibi pars erit propriorum meritorum tuorum? an nihil omnino es meritis pro teipso? Ita, inquit mihi, volui ex bonitate venire in partem propriorum bonorum meorum cum hominibus; & ex hoc volo agnoscere ipsos magnam abundantiam

Jesus Christus ex bonitate voluit aliquam meritorum suorum nobiscum capere partem.

Ccccc

mei

mei ergà se amoris : siquidem portio , quam mihi reservo , est quasi nihil , respectu immensæ summæ , quam totam integram dono do ipsis : nihil volo ex eo , quod concernit meritum essentialè respiciens beatitudinem ; hæc omnia cedo ipsis , absque eo , quòd ex iis mihi reservem vel unicum atomum .

Tota portio , quam habere volo ex thesauro infinito omnium meritorum meorum , quæ comparavi , non concernit nisi duas res accidentales , glorificationem corporis mei , & exaltationem mei Nominis . Corpus meum , quod reddidi passibile & mortale toto tempore transitorie vitæ meæ , quam exegi in terrâ , continuum operando miraculum , ut conservarem illud in statu , in quo pati posset pro hominibus , acquisivit sibi jus , ut glorificaretur , velut corpus animæ beatæ , & ad hoc nullo alio indigebam merito : sed quia plurimum sustinuit pro gloriâ Dei , & totum cooperatum fuit plagis ex amore proximi , hinc meretur augmea-

Iesus Christus non meruit pro se nisi glorificationem sui corporis , & exaltationem sui nominis ,

Heb. 2. v. 9. Vidimus JEsum propter passionem mortis gloria & honore coronatur.

tum gloriæ proportionatum magnitudini pœnarum suarum .

Et quod attinet exaltationem Nominis mei , est hæc recompensatio , quam accipio à justitiâ Dei Patris mei : Quia enim humilitatus sum , annihilatus , & summis obrutus opprobriis ad reparandam ipsius gloriam , hinc æquitati judicavit consonum , ut me exaltaret , meumque Nomen ita redderet gloriosum , ut illo pronuntiato , omne fleeteretur genu , in cælo , in terrâ , & in ipso etiam inferno . Ecce totam portionem quam mihi reservo ex meritis Passionis meæ ; totum residuum dono gratuito & prompto animo miseris peccatoribus .

Grates immortales , ô infinitâ ratione bone , infinitâ ratione amabilis Jesu ! unicum adhuc nôsse aveo , quem statum tenere quis debeat , ut participare possit è thesauro infinitorum meritorum tuorum .

Videamus.

ARGU.

ARGUMENTUM.

Quinam sint in statu, ut participes fieri possint meritorum Jesu Christi.

ARTICULUS V.

Instrue me, Domine. & adiscam à te ipso, quomodo habere se quis debeat, ut manum mittere possit in thesauros tuos, sequè tuis locupletare bonis.

Non nisi in hac vita mereri possumus.

Oportet ipsum esse, inquit mihi, nec beatum, nec damnatum, id est, neque in caelo, neque in inferno. Esse beatum in caelo, non est tempus meritorum, sed praemiorum: Esse contra damnatum in inferno, est esse extra tempus meritorum & in statu suppliciorum. Uterque status est in aeternitate, quò dum perventum est, nulla amplius fit mentio meritorum, nec bonorum nec malorum, sed solummodò retributionum vel felicem vel miseram post se trahentium sortem, eòquòd elapsum sit tempus, quod solum determinatum est ad colligendum vel merita vel demerita. Ecce quare dixerim in Evangelio: *Oportet operari donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari.* Dies vester est totum tempus vitae vestrae ab ortu usque ad occasum, concessum vobis ex integro ad operandum; & ve-

Joan 9.

stra, quam collocatis opera, non collimat aliò, nisi ut magnum accumuletis meritorum acervum pro aeternitate.

Operamini benè, dum dies est vester, memores habere vos non nisi unicum, qui semel dilapsus non revertetur amplius, nec alium vos unquam deinceps habituros: aspiciete illum inter duas magnas aeternitates; unam ipso priorem, & alteram ipso posteriorem, & videte quam brevis sit ipse: interim incredibili cum celeritate fugit, quem fugere non ita sinite, quin impendatis illum benè, quin laboretis indefesse, quin consideretis, omnes horas, omnia momenta unicæ vestrae diei, tanti esse pretii, tanti valoris, ut quodlibet ex illis comparare tibi possit coronam aeternam, quæ omnia mundi regna longo post se relinquat intervallo. Die pulsâ & appulsâ nocte in mortis hora, actum est, non amplius fiet sermo de meritis, nec de novis acquirendis lucris: non possidebis per totam magnam aeternitatem, nisi quod comparaveris brevis hujus diei tempore.

Quanti inter sit, operari singulis momentis ad merendum caelum.

Cccc 2 Omnes

Omnes igitur, mi Domine, omnes homines, qui sunt in tempore, tempus possident ex tuis participandi meritis, & omnes indiscriminatim, quicumque sint illi, facultatem tenent, suas in thesauros tuos, ad locupletandum se, inferendi manus?

Extra Ecclesiam nemo quidquam potest mereri.

Ita, omnes possident tempus & omnibus ad hoc facultas est, sed non omnibus ejusdem est exercitium: divitiarum mearum non sunt, nisi in domo mea, & qui meus non est domesticus, non habebit partem illarum. Domus mea est Ecclesia, porta hujus domus est Baptismus; qui non transierit per hunc, non intrabit domum meam, nec bonorum meorum habebit partem. Sic omnes infideles revera eo sunt loco, ut participare possint ex inexhausto meritorum passionis meae thesauro, siquidem tam bene preparata sunt illis, quam aliis; sed reipsa non participant, eoquod nondum intraverint in domum meam, ubi liberaliter illa distribuo domesticis fidei.

An ergo sufficit, Domine, Baptizatum esse, ut tuam quis intret Ecclesiam, & accensus tuis censeatur domesticis? sicine omnes haeretici, qui baptizati sunt verè ex meritorum tuorum participant thesauro? eoque divites erunt in aeternum?

Non sufficit, respondet mihi, meam semel intrasse Ecclesiam, sed oportet in illa perseverare, & ab ea separari nunquam: intrarunt illi quidem per Baptismum & in gratiarum mearum venerunt partem, quando infantes erant; sed egressi sunt ex illa, dum rationis obtinuerant usum; & quia amplius meos agere noluerunt domesticos, nec illos amplius admittere volui ad participandas divitias thesauri mei.

Revoca in mentem eam, quam in Evangelio dedi comparisonem: *Ego sum vitis, & vos palmites*. Ego nihil recipio à vobis, sed vos omnia recipitis à me. Ego namque largior vobis esse, vitam & virtutem producendi fructus: Ego sum in vobis, & vos estis in me; & in hoc statu fecundi estis bonis fructibus & divites meritis, sed sine me nihil potestis facere.

Ut aliquis palmes producat fructus, necessario quatuor requiruntur; Et modo haec habeat, sufficiunt ipsi. Primum, oportet ipsum conjunctum esse viti, si enim rescindatur inde, nulli amplius servit commodo, nisi ut comburatur. Secundum, oportet vivere ipsum eadem vitis vitâ, & nutriri radicali ipsius humore: quamvis enim ipsi conjungatur, absque eo moritur, exarescit, & nihil produ-

Joan. 15.

Pulchra comparatio vitii & palmitum allata à Jesu Christo.

cere

cere potest. Tertium, oportet ipsum calefieri calore quodam coelesti, & fructus ipsius ab ardoribus solis perducere ad maturitatem, alias nihil, quod alicujus valoris sit, progignet. Et quartum, oportet ipsum custodiri à gelu, grandine, & aliis externis impedimentis, quæ destruerent ipsius fructus, ipsumque redderent inutilem. Ecce ad amissim delineationem status, quem tenere quis debet, qui participare vult e fructibus Passionis Redemptoris, qui ipsius sunt merita.

Quatuor requiruntur ad afferendum fructum meritorum.

Inprimis oportet palmitem conjunctum esse suo stipiti, alias nunquam aliquem progignere poterit fructum. Quicumque non est conjunctus Jesu Christo, nunquam habere poterit aliquod meritum: Conjunctio hæc efficitur per fidem, cujus unitas constituit unitatem Ecclesie Catholice, quæ est Corpus mysticum Salvatoris; & quicumque in hæc constitutus est unitate, censetur membrum Corporis ipsius, & si haberet nonnisi hoc unicum, stupendas possideret prærogativas. Quando dicitur, quod Ecclesia sit sancta, quod sit sponsa Jesu Christi, quod magis suâ propriâ vitam ametur ab eo omnia hæc conveniunt ipsi in corpore, cujus est membrum; & quando oratur pro Ecclesia, oratur pro ipso;

& quando dicitur, esse communionem Sanctorum, insinuat, communicationem esse bonorum spiritualium inter fideles, in quarum omnium prærogativarum ipse admittitur participationem.

Sed quicumque non habet conjunctionem hanc cum Jesu Christo per fidem, est palme recisus e vite, cui nulla progignendi unquam fructum est facultas. Omnes igitur hæretici, omnes Athei, omnes Mahumetani, omnes infideles, quorum infinitus ferè est numerus, idonei non sunt, quamdiu in hoc perseverant statu ad colligendum aliquod meritum, vel participandum e fructibus Passionis Redemptoris. Et quid continget illis? ad quid inferviunt, omnia hæc arida sarmen-ta, e vite præcisa, nisi ut comburantur? Eheu! quam copiosum pabulum ignis æterni! Quis omnia hæc absque vehementi aspiciat dolere?

Fides.

Secundò non sufficit, ut palme jungatur stipiti, sed oportet ipsum vivere eadem cum vite & stipite vitæ: si enim exarescat & moriatur, nullum afferre potest fructum. Sic omnino non sufficit cum Jesu Christo uniri solo fidei vinculo, & Ecclesie ipsius existere membrum: oportet habere vitam supernaturalem sanctificantis

Gratia sanctificans.

gratiæ, quæ vivere nos facit eadem cum Iesu Christo vitâ divinâ, nosque idoneos reddit ad afferendos meritorum supernaturalium fructus; aliàs palmes est siccus & aridus condemnatus ad perpetuam sterilitatem, quâ æquè redditur inutilis, quamvis conjunctus maneat cum stipite, ac si ab illo foret separatus. Plurimi igitur Christiani, qui conservant quidem fidem, sed carent gratiâ, eòquod vivant in statu infinitâ ratione miserabili peccati mortalis, inhabiles omninò sunt in hoc statu progignendi aliquod meritum vitâ dignum æternâ; & si maneant ac moriantur in hoc statu, non admittentur unquam in partem immensi hujus thesauri meritorum Redemptoris sui.

Sancta charitas,

Tertiò requiritur calor celestis, qui calefaciat & vivificet vitam, ut fecunda reddatur, ac ardor solis, quo fructus ipsius perducantur ad maturitatem; aliàs, quod alicujus valoris sit, producet nihil. Hoc insinuare vult, quòd ultra duas uniones fidei & gratiæ sanctificantis, quæ conjungunt animam cum Iesu Christo, ipsamque vivere faciunt ipsius vitâ, requirantur ardores sanctæ charitatis, quibus calefiat & excitetur ad exercitium bonorum operum, imitando vitam Redemptoris sui, sitque verè motivum amoris Dei, quo im-

pellatur ad agendum, Quamvis enim habeat fidem & sit in statu gratiæ si non ageret nisi naturaliter ex respectu humano, id est, ex motivo amoris proprii & propriæ utilitatis, facere quidem posset opera bona ex seipsis, quæque ratione quâdam placerent Deo, sed hæc non essent nisi fructus immaturi ex defectu caloris; & quia ipsa animata non foret divino charitatis ardore, sic parvam vel nullam partem haberet ex infinitis meritis Redemptoris sui.

Tandem non sufficeret palmi-
ti vitis uniri cum stipite, & vivere vitâ ipsius, insuper frui radiis & influxibus solis favorabilibus, quantum requiritur ad progignendos fructus optimos. Si cunctis his stantibus percutiatur pruina vel grandine, aut exspolietur à furibus manet absque fructu, haud aliter ac si nullam è præfatis habuisset prærogativis, sic quamvis anima uniretur Iesu Christo per fidem, per gratiam sanctificantem, per sanctam charitatem, ipsaque disposita foret ad producendum plurima bona opera, seque locupletandum meritis maximis: Eheu! si aliquâ percutiatur tempestate, expolietur ab inimicis salutis suæ, amittit quandòque unius horæ spatio omnes, quos plurium annorum laboribus collegerat fructus. Eheu! nonne sæpius hoc accidit,
dum

Fuga peccati
& malorum
occasionum.

S. A.
in P.
v. 1.

dum immoramur periculosis in mundo occasionibus, dum nunquam non ambulamus in medio laqueorum, in extremitatibus præcipitiorum?

Nôsse igitur cupis statum, quem tenere oportet, ut participare possis ex meritis Passionis Salvatoris mundi! habere studeas hæc quatuor: unionem fidei, quæ te conjungat cum ipso, velut membrum cum suo capite; vitam gratiæ sanctificantis, mediante quâ recipias influxus divini ipsius spiritûs; ardores charitatis sanctæ, à quibus impellaris ad exequendum in omnibus divinam voluntatem, ipsius. Præter hæc omnia sis veluti vitis benè oclusa, periculosas fuge occasiones, custodi te ab inimicis salutis tuæ, qui rapere tibi possent bonorum tuorum fructum operum, deplorando in peccatum lapsu. In hoc statu certo participabis & abundanter ex meritis Salvatoris tui.

Sed dicitur, divitias inflare eor, & animo inferere ambitionem; metuo ne tam divitem me aspiciens concipiam cogitationes superbas, & magnam mei ipsius existimationem ob abundantem meritorum meorum copiam. Et unde accipies hæc merita? interrogabit te magnus Apostolus: Quid habes, quod non accipisti? Et si accepisti à Deo, quid gloriaris, quasi non acce-

peris? Quasi haberes id à teipso? Nihil eras, homo es, an meruisti, ut esses? Natus es cum peccato, & justificatus es ac adoptatus in filium Dei, quid meruisti, ut tineres hanc gratiam? Nihil potes à teipso, nisi mendacium & peccatum, & recepisti facultatem operandi bonum ac promerendi coronas; & tu quid dedisti Deo? Nihil. Sed quid habes, quod Deus non dederit tibi? Nihil. Si resumeret, quod spectat ad se, & nihil relinqueret tibi, unde gloriari posses? Nihil. Ecce omnes tuas divitias.

Ne persuasum habeas, mereri te aliquid posse à teipso. Quare? Quia absque illo agere & operari nihil potes. Quare nil agere absque ipso possum? quia absque ipso esse non potes. Habes esse, & hoc merum est donum Dei; habes gratiam, quæ perficit tuum esse, & hoc est merum donum Dei; habes bonum usum tui esse, tuæque gratiæ, quæ producere te facit bona opera; & hoc denuò est merum donum Dei; locupletas ex hoc & per hoc te meritis, sed hæc sunt iterum dona Dei; sine ipso enim non haberes illa. Quando tua allegas merita, ostendis & visenda præbes merita Jesu Christi: verum est, quod tua sint, sed tua sunt, quia illa is dedit tibi; & dignus es, ut perdas, si attribuere tibi cogitas illa, quasi à te ipso

Quomodo
cognoscea-
dum nos
nullum habe-
re bonum,
quod non
proveniat à
Deo ut illum
glorificemus,
nosque hu-
miliemus,

pro-

S. Augustin.
in Psal. 43.
v. 17.

profecta; mereris humiliari eorum privatione, si possidendo illa tibi ipsi adsciscere paras gloriam: tandem enim, quid habes, quod non accepisti?

Quando Deus coronat merita tua in caelo, propria sua coronat dona; sibi ipsi ergo potius, quam tibi administret iustitiam, cum merita, quae coronat, non à te, sed proveniant ab ipso. Sic omnia ex gratia habes; & hinc etiam ipsa vita aeterna vocatur gratia: *Gratia vita aeterna*. Nihil attribuamus no-

bis, permaneamus in nostro nihilo, ipsi soli gloria ex omnibus. Dum reservat sibi soli omnem gloriam, omnem nobis relinquit utilitatem. Ecce tibi infinitarum divitiarum thesauros, quos apertos tenet nobis, omnia haec merita nostra sunt, si capere volumus illa; hauriamus incessanter, nosque locupletemus. Sed quâ ratione id faciendum. Erit hoc argumentum consultationis sequentis, quae tota erit practica.

Rom. 6.

CONSULTATIO XXIII.

Quomodo incessanter haurire possimus è thesauris meritorum Jesu Christi.

Permissum est
quætere com-
moda nostra
spiritualia.

Dicant, quidquid voluerint, dari animas in intentione suâ adeò puras, ut agant absque ullo propriæ utilitatis intuitu; amamus nihilominus omnes utilitatem nostram, & amare debemus illam. Jesus Christus non condemnat desideria, quibus inardescunt avari accumulandi bona, nisi quia vilia nimis & abjecta sunt, dum inhiant pulveri terreno, cum opimiorum ac sublimiorum nancisci possent fortunam: suadet namque Apostolis suis, ut thesaurizent sibi thesauros in caelo,

ipsisque promittit aeternas divitias, si temporales, quas possederint, deserere voluerint, sui que amplecti sequelam. Vult igitur extimulare illos ad sublimiorem vitæ Christianæ perfectionem propriæ intuitu utilitatis, & ubi vis, ubi requirit servitia hominum, allicit illos promissione retributionum.

Tres habemus virtutes Theologicas, fidem, spem & charitatem, quas largitur nobis, dum peregrinamur in vita hac mortali, velut tres duces, ad deducendum nos ad patriam nostram cœlestem.

Quare Deus
largiatur nobis
virtutum
speci.